

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
OPHTHALMIA  
EIVSQVE THERAPIA SPECIALIORI

---

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRO SVMMIS  
IN VTRAQVE MEDICINA  
HONORIBVS

RITE OBTINENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
CHRISTIANVS HENRICVS  
OPPERMANN  
RATISBONENSIS  
SOCIETAT. BOTAN. RATISBON. SODAL.

---

D. DECEMBRIS MDCCCLXXXIII.

---

ERLANGAE  
TYPIS A. E. IVNGE.

DE  
O P T H A L M I A  
KIVSOVE THERAPIA SPECIATIONI

EX DECRETO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
PRO HONORIBVS  
IN VTRAQUE MEDICINA

MTC. CHRISTOPH.  
PABLO ERSTENOVY HANOVIA  
CHRISTIANVS HENRICVS  
OPPERMANN  
SOCIETATIS BOTANICAE HANOVIAE

ERSTENOVY  
HANOVIAE



RATISBONAE

LIBERAE S. R. I. REIPUBLICAE

PATRIAE CARISSIMAE

PERILLVSTRI BV S MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS

PRAESTRENVIS AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS

GRAVISSIMIS PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSVLI

CONSVLARIBVS

ET

SENATORIBVS

PATRI BV S CONSCRIPTIS

PATRONIS AC MAECENATIBVS SVIS

SVMMA PIETATE AETERNVM

COLENDIS

HAS STVDIORVM PRIMITIAS

SVMMA REVERENTIA

D. D. D.

SIMVLQVE FAVSTISSIMVM REGIMEN OMNISQVE

GENERIS BONA ADPRECATVR

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR PERPETVVS OBSERVANTISSIMVS

CHRISTIANVS HENRICVS OPPERMANN.



---

## PROOEMIUM.

---

**N**eminem profecto esse arbitror, quin oculos ad nobilissima et artificiosissima corporis humani organa merito referri debere judicet.

Quantum utilitatis ex una parte, tantum deliciarum ex altera hoc visus instrumentum nobis praebet. Hoc sensu privati infelicissimi habendi sumus; ad hoc naturae munus conservandum, aut amissum recuperandum nullis parcimus impensis, nullum incommodum detrectamus; isque qui visum restituit, vitam reddidisse nobis videtur.

Sed quo magis oculorum structura tenera est et composita, eo citius vitia

in illa generari queunt, eo difficilius visus semel corruptus seu amissus restauratur et recuperatur.

Quis itaque dubitabit, medico esse maximi momenti, structuram hujus organi bene intelligere, oculorum morbos et eorum causas optime dijudicare ac cognoscere, ut idoneis et rite applicatis remediis vitia eorum, si fieri potest, penitus tollat, vel saltem minuatur.

Neque temporis, neque virium et experientiae ratio permittunt, ut de omnibus oculorum morbis et vitiis differere queam. Aliqua modo de *ophthalmia*, quatenus humeri valent, referre tentabo. Saepius nempe occasio se mihi praebuit, plures ejus species in *instituto clinico, Erlangae* florente, cui per annum et quod excurrit adscriptum esse mihi contigit, observandi, et sub moderamine Illustr. Consil. aul. et Prof. D. WENDT, quem



quem *fautorem* et *praeceptorem* usque ad cineres pie devenerabor, aegrotorum curam gerendi; quae itaque hic de hoc morborum genere notavi, pro virium modulo in medium proferam.

Hoc antequam aggredior, enixe oro rogoque, ut *Lector Benevolus* conamina mea indulgenter suscipiat; non enim animus est, novas theorias condere, neque ophthalmiae therapiam prorsus inauditam proponere, sed speciminis loco ea quae observare licuit, censurae submittere; quae ut aequa sit atque benigna, opto ac precor.

---

§. I.

**N**ullus forsan morbus antiquior, nullus notior est inflammatione, ad quam cuivis homini dispositio plus minusve quasi innata est, quaque omnes corporis humani partes affici, mutari vel corrumpi possunt. De proxima vero hujus mali causa adhuc contenditur, ita ut plures habeamus theorias inflammationis indolem explicantes. Inflammationem vero statim cruoris in vasis minoribus et arteriosis et venosis, in statu sano cruorem haud continentibus, nec non in vasculis lympham vehementibus esse, omnes fere statuunt scriptores.

§. II.

Symptomata inflammationis consueta sunt: febris, interdum vix sentienda, dolor quem pulsantem aegroti sentiunt, tumor, calor auctus, et rubedo, nec non laesio functionum parti affectae propriarum.

§. III.



## §. III.

Ex antiquissimis de inflammatione sententiis parum adnotatu dignum est, quum non satis culto anatomes studio et aetiology morborum nimis manca esse debuerit. Praecipuas tamen veterum opiniones, hanc rem tangentes, enumerare mihi liceat. — ASCLEPIADES inflammationem oriri existimat, si humores, per vasa vix visibilia transeuntes, lumina eorum stagnantes recludunt *a*).

## §. IV.

HIPPOCRATES *b*) inflammationis ortum in affluxu nimio vel sanguinis, vel aliorum acrium humorum ponit. Sed et ex nimia siccitate partium carnosarum vicinorum vasorum sanguinem aliosque humores attrahi, in tumorem colligi, et sic inflammationem oriri posse contendit. Facile vero mihi ad intelligendum esse vide-

A 5 tur,

*a*) SCHVLTZII compend. histor. med. Hal. Magdeb. 1742. libr. II. cap. XII. §. 542.

*b*) HIPPOCR. libr. de tumor. c. 2.

tur, HIPPOCRATEM in ulteriore descriptione fugillationes et tumores frigidos cum vera inflammatione confudisse, quamquam et his morbis relata theoria nequamquam convenire videatur.

§. V.

ERASISTRATVS causam inflammationis accusat sanguinem, in vasa spiritibus dicata effusum c). Eandem fere sententiam CELSVS fovit.

§. VI.

GALENVS et affeclae ejus ex diapedesi sanguinis e lateribus vasorum, per nimium affluxum justo plus extensorum, inflammationem gigni sibi persuasum habent. Forsan vero dubitandum est, an sine manifesta vasorum laesione in statu hominis vivo diapedesis per vasa accidere possit? Si vero quoque hanc sanguinis diapedesin statuamus, attamen e GALENI sententia fugillationum, neque vero inflammationum ortus explicari potest.

§. VII.

c) SCHVLTZE l. c. cap. VIII. §. 440.



## §. VII.

Ex recentioribus, qui fusius hanc rem tractavere, et veritati propius accedere operam navarunt, sequentes theoriae memoratu dignae mihi visae sunt.

ETTMÜLLER derivavit inflammationes a calore corporis aucto, hunc vero calorem a spirituoso quodam acido, et quidem volatili oriri voluit. Postea vero, mutata sententia, causam inflammationis sanguinem, in arteriis ex impedito ad venas refluxu stagnantem, esse opinatus est.

## §. VIII.

BOERHAAVE inflammationem oriri putat, si sanguis ruber arteriosus in minimis canalibus stagnat, et exinde per attritum sanguinis, nunc praeternaturali modo auctum, febris accenditur *d*). Sanguine

*d*) BOERHAAVE aphorism. de cognoscend. et curand. morbis. Vindobon. 1775. aphor. 100 — 106. §. 371. EJVSD. praelection. publ. de morb. oculor. Goetting. 1746.

guine in vasis ferosis vel lympham ventibus impacto inflammationem producente, errorem loci adesse statuit e); quam sententiam et GAVBIVS f) proposuit. Eadem opinione FRIDERICVS HOFMANN et LVDWIG sunt.

§. IX.

STAHL, GORTER eorumque affectae affirmant: inflammationem oriri, si motus vasorum arteriosorum nimis auferentur. Hi igitur motum vasorum auctum causam, BOERHAAVE vero effectum inflammationis esse voluerunt. SAVVAGES Stahlii sententiam tuetur, et, ut ille, motum auctum vasorum ex animae in corpus dominio explicare adnititur.

§. X.

HEWSON et CALLISEN derivant inflammationes a nimia tenuitate partis lymphaticae sanguinis, et ab exinde imminuta illius cohaesione.

§. XI.

e) BOERHAAVE l. c. aph. 122.

f) GAVB. institut. pathol. §. 398.



## §. XI.

BANG hanc inflammationis definitionem proposuit: est febris continua, cum adjuncto dolore fixo, circumscripto, seu in certa parte corporis haerente. Causam proximam constituit sanguinis praeternaturalem accumulationem, atque retardatum motum in vasis minoribus, quo haec nimis replentur et tantum distenduntur, ut dolor notabilis inde exurgat g).

## §. XII.

GAVBIVS cruorem nimis abundantem in sanguine, causam inflammationum esse existimat, et calorem auctum a phlogisti justo majori copia derivat b). Crustam inflammatoriam vero nimiae partis fibrosae sanguinis cohaesioni adscribendam esse contendit i), cujus theoriae contrarium HEWSON (§. X.) stabilire admissus est.

## §. XIII.

g) BANG praxis med. Hafn. 1789. p. 141.

b) GAVB. l. c. §. 355.

i) IDEM. §. 366.

## §. XIII.

HALLER inflammationem sanguinis rubri in partes cellulofas extravafationem, et hujus cauffam motum ofcillatorium vaforum fanguiferorum irritamento quodam minutum, effe ftatuit *k*).

## §. XIV.

E MACBRIDII fententia inflammatio oritur vel ex motu minimorum vaforum, ftimulo quodam aucto, vel ex nimia vaforum relaxatione *l*).

## §. XV.

SELLE irritamentum quoddam producere impulfum et accumulationem fanguinis et ex eo inflammationem, tumorem et dolorem oriri *m*), docet.

## §. XVI.

*k*) HALLER *Element. phyfiolog.* Laufann. 1757. T. I. p. 37 feqq. p. 116 feqq.

*l*) DAVID MACBRIDE *Introduct. in theoriam et praxin medic.* Bafil. 1783. Tom. I. p. 162.

*m*) SELLE *Handbuch der medizinen. Praxis.* Berlin, 1793. 6te Auflage. p. 76.



## §. XVI.

RICHTER sedem inflammationum praecipue in minoribus arteriis quaerit; sed et in venis interdum easdem oriri posse haud dubitat. Causas proximas enumeravit spasmum, contractionem et oscillationem fibrarum vasorum sentientium et irritabilium, auctum humorum affluxum et motum celeriore per partem inflamatam n).

## §. XVII.

BURSERIVS, de explicandis inflammationibus optime meritus, irritamentum quoddam causam proximam esse probat o). Si vasa sanguifera irritantur, secundum illum saepius contrahuntur, saepiusque iterum dilatantur; si saepius dilatantur, affluxui sanguinis minus resistunt,  
et

n) A. I. RICHTER *Anfangsgründe der Wund-  
arzneykunst*. Goettingen, 1782. T. I. §. 4.

o) Institut. med. prax. quas auditoribus suis praeleg. I. BAPTISTA BURSERIVS de KAN-  
NILFELD. Vol. I.

et e nimio nunc necessario affluxu cetera inflammationum symptomata oriri necesse est. Haec inflammationis theoria mihi valde verosimilis videtur; eamque maxime idoneam ad symptomata hujus morbi eruenda esse puto. Rubor nempe et tumor a nimio sanguinis affluxu oriuntur, tumorem sequitur dolor a nimia fibrarum vasorum extensione; functiones partis affectae vel ex doloris nimii sensu, vel ex ruptis quibusdam partibus, vel ab ipsius tumoris magnitudine et situ laeduntur. Febris ab inaequali vasorum constrictione, et exinde impedita humorum circulatione, gignitur; atque a nimio attritu sanguinis, majorem copiam materiae calorigificae eliciente, caloris major gradus derivari potest.

#### §. XVIII.

Repugnare quidem videtur huic opinioni, illa experientia stabilita observatio: et ex nimia vasorum laxitate inflammationes interdum oriri.

Vera



Verae quidem sunt, sed vasa nimis relaxata nimium humorum affluxum producunt, ex quo stases oriuntur, necesse est; humores stagnando acriores facti irritamentum et causam inflammationis praebent. Eodem fere modo, et ex nimia partium constrictione, e. g. ex herniis incarceratis, iusto magis constrictis fasciis etc. inflammationes procreari possunt. Nimia enim constrictione refluxus humorum per vasa impeditur, vasa adventitia igitur irritantur, inaequali modo contrahuntur, stases sanguinis oriuntur, humores, stagnando acriores facti, stimulum praebent, et inflammationem, tandemque gangraenam, producere queunt.

§. XIX.

Quod attinet ad febrem inflammatoriam, celeberrimum RICHTER *p*) sequor, qui contendit duplicem esse: alteram esse effectum irritamenti, quod causa proxima producit, alteram irritationis, ex inflammatione.

*p*) RICHTER l. c. §. 16. 17.

flammatione demum abortae; quo major igitur inflammatio, eo irritabiliores partes affectae, eo vehementiores semper esse motus febriles.

Sed sufficiant haec de inflammatione, tanquam morborum classe. Ad *ophthalmiam* inflammationum genus, pertractandam me converto.

§. XX.

Si oculorum inflammationes consideramus, eae vel in bulbo ipso vel in palpebris accidunt, ac propterea vel secundum locum quem afficiunt, vel secundum causas quas secutae sunt, vel secundum gradum malignitatis seu durationis in specie dividi possunt. In genere est inflammatio vel idiopathica, vel sympathica. Inflammatio idiopathica illa nominari meretur, in qua irritamentum quoddam, prima inflammationis causa, parti affectae ipsi primo adlatum est; e. g. si corpusculum alienum seu acrimonia chemica quaedam oculo immediate injecta sint.

Sym-



Sympathicam q) nominamus, si materia irritans, morbum efficiens, parti remotae infidet, et irritamentum per partium consensum usque ad oculi quandam partem ita propagatur, ut inflammationem oriri necesse sit. Sic v. c. vermes intestinales inflammationis saepius causae accusari queunt.

§. XXI.

*Bulbi inflammationes* in genere nominantur verbo *ophthalmia* seu *ophthalmites* r), quia Graeci dolores et inflammationes cujusdam partis syllabis *ια*, seu *ιτης* indicare solebant, quod et a Latinis medicis receptum est; sed et interdum palpebrae inflammatae hoc nomine significantur, quin immo veteres omnes oculorum morbos nomine *ophthalmiae* donaverunt.

B 2

§. XXII.

q) De morbis sympathicis et idiopathicis, qui sint *CAVIVS* uberius differit l. c. §. 863 et 864.

r) *Ophthalmitis* denominatio a nonnullis medicis et *phlegmonae* tribuitur.

## §. XXII.

*Inflammationes palpebrarum* vel in partibus *glandulosis*, vel in partibus *musculosis*, vel in *canali lacrymali*, vel in *parte callosa* ad palpebrarum cilia, quem *tarsum* vocant, proveniunt s). Sed de his morborum speciebus hic fermo non esse potest. *Ophthalmia* seu ipsius bulbi inflammationes frequenti modo dividi possunt (§. 20.).

I.) Quoad *gradum vehementiae* distinguimus :

a) *Taraxin*, quae est tunicae albugineae levior inflammatio, cum dolore leniori, quem prementem aegroti sentiunt, ac febre vix sensibili conjuncta.

b) *Chemofin*, tunicae adnatae inflammationem, cum febris ac doloris majori vehementia, et colore bulbi sanguineo-rubro. In hac specie tunica adnata adeo plerumque tumore inflata est,

s) CULLEN duos ordines ophthalmiae constituit, nempe *membranaceam* et *glandulosam*. Ceterum vid. PVLVERMACHER diff. inaug. de glandulosi systematis inflammatione. Halae 1788.



est, ut cornea quasi ab illa tecta videatur; et saepius cornea ipsa inflammatione afficitur.

- c) *Pblegmonen*, quae partium interiorum oculi inflammationem significat, et tumorem, febrem vehementem doloremque vix tolerandum comites habet.

II.) Respectu *temporis spatii* per quod durare potest:

- a) *Ophthalmia chronica*, quae cognoscitur e rubore oculi et dolore mediocri, per aliquot jamjam hebdomades praesentibus. Febris in hac specie vix sensibilis est; morbus ipse plerumque ex vasorum debilitate et laxitate ortus.
- b) *Ophthalmia acuta*, oculorum inflammatio maxime vulgaris, feбри et dolore utroque vel leviori vel vehementiori conjuncta, quae intra viginti et unius dierum spatium vel resolvitur, vel in abscessum transmutatur.
- c) *Ophthalmia periodica*. Morbus rarior.

Symptomata mox evanescent, mox

vero redeunt, velut febris intermit-  
tentis paroxysmi. Morbus mihi ple-  
rumque sympathicus esse videtur.

III.) Quod attinet ad *sedem inflammationis*,  
seu locum, qui afficitur, vel esse  
potest:

a) *Interna*, seu *phlegmone*, quae, ut jam  
supra retuli, tunicarum interiorum  
inflammatio est, et ob partium nobi-  
litate et tunicae nerveae vicinita-  
tem gravissimis oculorum morbis ad-  
numerari meretur.

IV.) Si *complicationes* perpendere vellemus,  
facile intelligitur perplurimas ophthal-  
miae species construere necesse esse;  
attamen quasdam notatu dignas, adno-  
tare liceat.

a) *Ophthalmia* conjuncta cum *systematis*  
*glandulosi inflammatione*.

b) *Ophthalmia serosa* seu *humida*, si pro-  
fluvium lacrymarum, et humoris aquo-  
si ex vasis exhalantibus nimium adest.

c) Oph-



- c) *Ophthalmiae humidae* opponitur *O. sicca* seu *sanguinea*, in qua vasa exhalantia nimis constricta, et quam ob causam oculi omni fere humore carent.
- d) *Epiphora*, si nimia humorum copia e glandulis lacrymalibus excernitur, et vasa resorbentia, ad illos resorbendos, obstructione quadam impediuntur.
- e) *Lippitudo*, si a glandulis materia purulenta excernitur, quae a vasis resorbentibus excipi nequit, vel si ex nimia lacrymarum quantitate excreta, partes aquosae modo resorbentur et materia densior, sebacea remanet et quasi purulenta ex oculis profluere videtur.
- f) *Ectropium*, si morbus inflammatorius palpebrarum ophthalmiae conjunctus est, in quo cutis palpebrarum interna extrorsum vertitur, quod plerumque a cutis internae laxitate fieri solet.
- g) *Entropium*, si a nimia laxitate cutis externae, seu a vulnere parti palpe-

brae externae illato, seu a nimia cutis internae constrictione palpebrae introrsum conversae sunt.

h) *Trichiasis*, si cilia, introrsum flexa, irritatione ophthalmiam producant. Interdum et duplex ciliorum series, quorum altera extrorsum, altera introrsum spectat invenitur; ophthalmia inde oborta eadem est cum trichiasi, et distichiasis appellatur.

i) *Exophthalmia*, si palpebrae ob nimium oculi inflammati tumorem claudi nequeunt; haec species et *Lagophthalmus* nominatur, quia lepores oculis apertis dormire dicuntur.

Haec sufficient de complicatione specierum. Plures quidem existant, haec vero proprie huc pertinere, et plerumque in praxi obvenire mihi videntur.

V.) Si *causas* contemplamur, omnia quae de inflammationum causis in genere dici possunt, huc referenda sunt. Quidquid nempe vasa minora oculi irritat, vel  
nimio



nimio modo relaxat, ut humorum stases orientur, ophthalmiam oriri faciunt. Si vero in causas specialiores inquiremus, praesertim hae reperiuntur:

- a) *Vulnera et violationes externae,*
- b) *corpora aliena, oculo illata, e. g. pulvis, sabulum, acida, vapores acidi, fumus, insecta parvula etc.*
- c) *Impuritates biliosae primarum viarum.*
- d) *Vermes intestinales.*
- e) *Materia catarrhalis, rheumatica, arthritica.*
- f) *Materia scrophulosa.*
- g) *Acrimonia venerea.*
- h) *Exanthemata retropulsa, v. c. variolae, morbilli, achores, tinea, favus, scabies etc.*
- i) *Haemorrhagiae naturales, vel praeternaturales, vel suppressae, vel retentae, vel eorum profluvium nimis parvum, vel inordinatum; quae haemorrhagiae sunt vel menstrua, vel lochia, vel haemorrhoides, vel haemorrhagia narium.*

k) *Transpiratio subito suppressa.*

l) *Odontalgia adulatorum et infantum dentitio.*

### §. XXIII.

*Symptomata* inflammationis consueta in oculis sunt ut in aliis inflammatis partibus: dolor, tumor, rubor, febris (§. II). *Dolor* semper in ophthalmia adest, et in genere vehementia sua minori vel majori inflammationis gradum indicaret, nisi aegrotorum major seu minor sensibilitas medicum interdum falleret. Si inflammatio levior, aegroti prurimum sentire solent, non aliter ac si corpusculum alienum partes illiceret. Si gravior ophthalmia est, dolore vehementer pungente afficiuntur.— Secundum ill. RICHTER t) dolor sub initio inflammationis plerumque vehemētissimus, in decursu morbi vero levior est, quod forsā a vasis sensim sensimque magis relaxatis, ideoque nunc minus extensis, evenit.

*Tumor*

\*) RICHTER l. c. Tom. III. §. 4.



*Tumor* in ophthalmia rarius, ac in aliarum partium inflammatione observatur; attamen saepius adesse solet, et interdum lagophthalmum format. *Rubor* in hoc morborum genere praesertim conspicuus est, cum oculus in statu sano sine omni rubedine appareat. Interdum vero in phlegmone hoc symptoma deest, si partes internae oculi solummodo inflammatae sunt. Sed et in hac specie cornea nonnunquam rubescit, si in vehementiori gradu humor aqueus per sanguinis suffusionem colore rubro tingitur.

*Febris*, ut in omnibus morbis inflammatoriis, minori vel majori gradu adesse solet, de quo §. XIX dicta valent, nempe duplicem esse: 1) *febrem a causa inflammationis proxima ortam*, ut e. g. in ophthalmia a saburra biliosa, febris biliosa adesse potest; 2) *febrem secundariam*, cujus causa inflammatio ipsa esse videtur, quae ulterior mere inflammatoria est. Sed et saepius febres complicatae observantur, quae ortum ex aliis causis concurrentibus ducunt.

## §. XXIV.

Aliud, haud rarum, sed minus constans, praecedentibus, symptoma est *intolerantia lucis*. Est hoc symptoma signum gravioris inflammationis. *Coecitas* cum ophthalmia conjuncta semper mali ominis habetur. Ortum trahit vel a pupilla, ex irritatione nimia, nimis contracta; vel a corneae, vel humoris aquei, vel lentis crystallinae obscuracione, vel a tunica retina ipsa inflammatione affecta, quem casum ultimum plerumque amaurosin sequi timendum est.

## §. XXV.

Omnibus his ophthalmiae signis adhuc *pulsus durus, plenus, celer*, et interdum *parvus, contractus, inaequalis* addi potest, qui vero magis febris, quam morbi ipsius, symptoma dici meretur.

## §. XXVI.

*Exitus* ophthalmiae est vel bonus, si inflammatio discutitur; vel malus, si inflammatio in suppurationem transit, quam plerum.



plerumque morbi oculorum pejores fe-  
quuntur, ut e. g. obscuritas capsulae len-  
tis crystallinae, seu in ea contenti hu-  
moris suffusio, seu cornea pelluciditate  
privata, quos morbos nomine cataractae  
significamus, seu maculae corneae, pan-  
ni, ungues, pterygia etc. vel pupillae sy-  
nizesis, vel amaurosis, vel staphyloma,  
vel uvatio, vel hypopium, vel si spha-  
celus et gangraena oriatur, totius oculi  
detrimentum, qui vero omnes alius ge-  
neris sunt, ac quorum hic modo men-  
tionem facimus. Adhuc hic notandum  
est, quod oculo semel inflammato, etsi  
jam sanato, plerumque dispositio ad no-  
vas inflammationes remanere solet, quod  
et in aliarum corporis humani partium  
inflammationibus fieri notum est, et a la-  
xitate vasorum remanente explicandum  
mihi videtur.

#### §. XXVII.

Praemissis, quae ad diagnosin et pa-  
thologiam ophthalmiae pertinent, licitum  
mihi sit pauca adhuc de illius therapia,  
praesertim specialiori proferre.

#### §. XXVIII.

## §. XXVIII.

Dividere possumus ophthalmiae therapiam in *generalem* et *specialem*. Generalis therapiae finis status inflammatorius ipse, eaque propterea omni speciei adhibenda est, nisi causae specialiores aliorum adhuc remediorum usum postulent, vel res aliae accessoriae hanc methodum dissuadeant. Indicationes vero generales sunt sequentes:

- 1) *Stasis inflammatoria est resolvenda.*
- 2) *Febris est mitiganda.*
- 3) *Tonus partis affectae amissus est restaurandus.*

## §. XXIX.

*Indicationi primae sufficient derivantia, scilicet pediluvia, vesicatoria, fonticuli, setacea, sanguinem minuentia, nempe venae sectiones, hirudinum applicatio, resolutiva interne propinata, ut sal ammoniacum, nitrum, flores arnicae, mercurii doses refractae. Externe adhibeantur Collyria emollientia et discutientia, e. g. aqua ophth.*



ophth. sapphinea, decocta florum malvae, radicis althaeae, seminis lini etc. seu facculi, speciebus aut pulveribus resolventibus et discutientibus repleti imponantur, seu unguenta emollientia illiniantur, ut e. g. unguent. St. Yves a nonnullis hunc in finem commendatum.

§. XXX.

*Secundae indicationi* respondent in genere *temperantia* e. g. nitrum, cryst. tartari, tartarus solubilis, tart. tartarifatus et vitriolatus et laxantia leniora antiphlogistica e. g. pulpa tamarindorum, cryst. tartari major dosis, sal aperitivum Fride-ricianum et oxymel seu acidum citri aquae commixtum pro potu propinatum, nec non poma dulciora.

§. XXXI.

*Tertiae indicationi* collyria *roborantia*, *adstringentia* satisfaciunt, v. c. aqua fontana frigida, decoct. chinae seu cort. rhamni cathart. extractum saturni aqua solutum etc. Dieta fit antiphlogistica, levis, et versus finem nutriens.

§. XXXII.

## §. XXXII.

Therapiae generali adhuc adjungendum est, ut *omnia, quae inflammationem augere possent, arceantur*. Quapropter praesertim cavendum est, ne lux, aër, seu alia corpora aliena oculo incommoda adferant. Ad haec perficienda oculo inflammato plagulae ex linteo ter quaterve duplicato ita affigendae sunt, ut oculo tantummodo praependeant; si enim oculus inflammatus linteolis et fasciis plane tegetur, calor et inflammatio augetur, et cum lacrymarum copia effluere nequiret, ut irritaret oculum et morbum graviolem redderet necesse esset. Sed et maxime prodest oculum alterum, quamquam inflammationis expertem, modo indicato ab aëris et lucis impressionibus tueri, ne una cum sano oculo et aegrotus in motum cieatur, qui aequae atque aër, lux et similia alia, irritamentis noxis adnumerandus est. — In *epiphora* et *lippitudine* oculi saepius a materia purulenta diligenter purgandi sunt, quod in morbi initio lacte tepido, et sub finem aqua frigida fieri potest.

## §. XXXIII.



## §. XXXIII.

De *collyriis et aliis externis remediis* haec praefertim notanda veniunt: adstringentia seu roborantia tantummodo in levissimo inflammationis gradu ab initio cum fructu adhiberi possunt, quia resolutioni in decursu morbi resistunt, et ophthalmiam acutam in chronicam vertere solent.

Sub finem vero inflammationis, seu in ophthalmia chronica a vasorum debilitate, eximiam virtutem praestant.

Emollientia caute adhibenda sunt, ne suppurationem efficiant. Haec de therapia in genere.

## §. XXXIV.

In qualibet vero ophthalmiae specie cura eadem esset, nisi species, secundum caussarum diversitatem, specialiotherapiam requirerent. Propterea in his morbis curandis praefertim eo adnitendum est, ut caussae mali clare cognoscantur, et exinde indicationes speciales recte formentur; quod in hoc casu eo citius fieri necesse est, quum partes subtiliores, facilimo

limo negotio destruendae, afficiantur, id-  
 eoque pyogenia, consueta et in aliis mor-  
 bis inflammatoriis non semper gravissima  
 sequela, quantum fieri potest, praecaven-  
 da sit. Recensebo igitur causas specia-  
 liores (§. XXII.) jam relatas, et indicatio-  
 nes exinde formatas, et quaedam reme-  
 dia, his convenientia addam.

§. XXXV.

*Inflammationes a laesione externa* ut in-  
 flammationes in genere curantur; nempe  
 primum venaesectio derivatoria instituenda  
 est, externe sacculi, pulvere e speciebus  
 resolventibus seu emollientibus repleti,  
 seu collyria resolventia adhibenda sunt.  
 Interne dantur temperantia, e. g. nitrum  
 crystall. tart., et, ut alvus aperta sit, salia  
 media leniter laxantia, seu decoct. pulp.  
 tamarindorum; et si forte fugillationes  
 adsint, decoctum flor. arnicae interne  
 cum fructu propinatur. Inflammatione  
 tandem resoluta, collyriis adstringentibus  
 et roborantibus, seu, quod optimum mihi  
 roborans in his affectibus esse videtur,  
 aqua frigida utendum est. Balneum ex  
 aqua



aqua fontana frigida oculis adplicatum  
optime iis conduxisse saepius observavi.

§. XXXVI.

*Corpora aliena oculo illata*, mox remova-  
venda sunt, ne causa irritans praesentia  
sua inflammationem augeat; si vero nimis  
parva, quam ut educi queant, e. g. fabu-  
lum, pulvis, vapores acidi, fumus etc.  
oculum irritaverint, mucilaginosae illinian-  
tur, ut materia irritans involvatur, ejus-  
que vis noxia deleatur. In his casibus  
praesertim mucilago e feminibus cydonio-  
rum commendatur. In reliquis, nisi in-  
flammatiō, causa ablata, sponte sua re-  
solvitur, indicationibus generalibus insi-  
stendum est.

§. XXXVII.

*Impuritates biliosae primarum viarum*, si  
forte causae inflammationis sint, *evacuandae sunt*, quod, praemissis digestivis, si  
materia adhuc cruda, ac nondum mobilis  
sit, emeticis et laxantibus fieri solet. In-  
flammatiō ipsa ut inflammatiō in genere  
tractanda est.

## §. XXXVIII.

Et *vermes*, per *consensum nervorum*, ut inflammationes oculorum oriantur, efficiunt, quod saepius difficillime cognoscitur, quia signa, vermium praesentiam probantia, haud constantia atque haud raro fallacia sunt. Si causa patet, vermes necandi et expellendi sunt anthelminthicis. Optima sunt mercurialia, praesertim mercurius dulcis *u)*, helminthochortos *v)*, rad. filicum *w)*, vitriolum martis factitium, laxantibus *x)*, et quidem vehementioribus conjuncta.

## §. XXXIX.

*Materia catarrhalis saepius ophthalmiae serosae causa est.* Praemissis remediis anti-phlo-

*u)* Illustr. HILDEBRANDT dissertat. dulcis mercurii laudes. Erlang. 1793.

*v)* HAEMMERLEN diff. de Fuco Helminthochorto. Erlang. 1792.

*w)* GMELIN dissertat. de Filicibus. Erl. 1783.

*x)* SELLE commendat in medicina sua clinica gummi - guttam contra taeniam et nullum esse putat specificum, nisi laxantia drastica. p. 187.



phlogisticis in genere, sal ammoniacum cum tartaro emetico, parva ac saepius repetita dosi, et febre mitigata, camphora, antimonium diaphoreticum, essentia pimpinellae albae, nec non alia leniter diaphoretica praebenda sunt. Pro potu infusum florum sambuci commendandum est. Externe lac tepidum, decoct. rad. althaeae seu florum malvae seu alia mucilaginosa adhibeantur, ne humoris copiose profluentis acrimonia irritando inflammatio augeatur. Si profluvium nimium est, vesicatoria indicantur. Si *materia rheumatica* seu *arthritica* inflammationis causa est, venae-sectione largiori instituta, et primis viis per emetica e. g. tart. emet. aqu. benedicta Ruland. vin. emet. Huxhami etc. purgatis, diaphoretica interne propinentur. Ex antarthriticis praesertim laudantur tart. tartarifatus cum gummi guajac. nativ. tinct. guajac. volat. y) sulph. aurat. antimonii, antimon. diaphoreticum, aethiops antimon. et reliquae antimonii pharmaceu-

C 3

ticae

y) Hujus medicamenti praeparationem SELLE in appendice suae med. clin. p. 626. docet.

ticae praeparationes. Pro potu stiptum dulcamarae decoctum prae aliis dari meretur. Remedia externa sunt vesicatoria, semicupia sulphurata; collyria nocent. Ill. RICHTER tamen tincturam thebaicam in hoc casu saepius auxilio fuisse affirmat.

§. XL.

*Inflammationes oculorum ex cacochymia scrofulosa plerumque pertinacioribus chronicis adnumerandae sunt.* Remedia antiphlogistica, ut dicuntur, hic frustra adhibentur, nisi cacochymiae universae mederi studeamus. Causae hujus cacochymiae sunt tonus vasorum amissus, tenacitas et acrimonia quaedam humorum, quare glandularum obstructions, eorumque inflammationes, in ulcera malae indolis plerumque abeunt. Remedia, quae huic cacochymiae profunt, sunt resolventia efficaciora, ut mercurialia z), sapones, extracta sapon-

- z) De efficaci in scrofulosis morbis usu mercurii dulcis vid. Ill. HILDEBRANDT diss. supra jam allegata §. 10. Mercurio phosphorato aliquot scrofulosos sanari in instituto clinico videre mihi contigit.



ponacea, ut extr. cicutae, belladonnae etc. diluentia et roborantia, in quibus cortex Peruvianus aliis praestat. De diaeta notandum est: ingesta calidiora, et solida relaxantia, aegrotis maxime esse noxia, aromatica vero et eupepta prodesse. Externe collyria adstringentia et roborantia cum fructu adhibentur, e. g. decoctum rad. chinae, seu falicis vitellinae, aqua frigida, solutio aluminis, seu extracti saturni. Si forte dolores nimii sint, tinct. thebaica oculo instillata prodest.

§. XLI.

*Ophthalmia venerea est vel symptoma luis venereae, vel effectus gonorrhoeae suppressae.* In priori casu antisiphylitica adhibeantur, inter quae mercurium longe praestantissimum esse quis est qui ignoret? Lue sanata et ophthalmia, luis symptoma, evanescet. Notandum modo est, si inflammatio sub initio sit acuta, remedia antiphlogistica, qualia sunt venae-sectio, temperantia et leniter purgantia, mercurii usui antecedere debere. In ophthalmia venerea chronica laudat ill.

RICHTER mixtionem e calomel et camphora; et si fortasse dolores nimii sint, pulverem e calomel. grj — ij sulph. ant. aurat. et extr. opii ana gr. j. compositum, bisque de die propinandum, commendat. Externe fotum e mercur. gummos. ℥j et lactis ℥. j adhiberi vult a). Ophthalmia e gonorrhoea suppressa plerumque acuta est. Mercurialium usus hic nil valet, sed gonorrhoeae revocatio urgens est indicatio, quod per cataplasmata emollientia perinaeo imposita, e. g. flor. hyoscyami cum lacte coctos, clysmata emollientia, et injectiones in urethram, balnea, et si omnia haec fallerent, per inoculationem gonorrhoeae, ut fiat, necesse est. In reliquis methodus antiphlogistica adhibenda. Ill. FRITZE b) contendit, hanc ophthalmiam veram acutam semper coecitatem fecuturam esse, et propterea suppressioni omni modo praecavendum esse strenue monet. Externe in hac

a) RICHTER l. c. §. 54.

b) FRITZE *Handbuch über die venerischen Krankheiten.* Berlin 1790. c. 9. p. 86.



hac ophthalmia collyria resolventia, non vero adstringentia et roborantia adhibenda sunt.

§. XLII.

Haud raro fieri solet *ophthalmias a retropulsis exanthematibus oriri*, seu a *metastasi exanthematica produci*. Praesentibus vel jam superatis variolis pluries ophthalmia adparet, quae a nonnullis medicis pustulis oculo insidentibus, ab aliis vero, metastasi materiae variolosae, haud minus probabiliter adscribitur. Vfus mercurii dulcis internus, et fotuum e lacte tepido, externus, huic speciei satisfaciunt. In morbillis ophthalmia sicca, seu serosa saepius ut symptoma adesse solet. Fotus lactis tepidi, seu mucilagines oculo inflammato illiti, et interne diaphoretica et primas vias mundificantia, morbum una cum ophthalmia symptomatica tollunt. In aliis a retropulsis exanthematibus ophthalmiae speciebus e. g. a scabie, ab achoribus, a favo, a tinea etc. exanthema revocandum est, quod per vesicatoria, epispastica, balnea tepida, praesertim sulphurea, et interne

per sulphuris citrini seu camphorae usum fieri solet. Revocatis et rite sanatis exanthematibus, ophthalmia plerumque sine externis remediis evanescere solet. Si forte sit pertinacior, venaesectio, collyria solventia et demum roborantia morbum sanant.

§. XLIII.

*Haemorrhagiae naturales et praeternaturales, suppressae, retentae, vel inordinatae, interdum ophthalmiae gravioris causae sunt.* Ad hanc sanandam haemorrhagias restaurare juvat, quod in genere venaesectionibus, semicupiis seu pediluvii tepidis, et vaporibus emollientibus, parti ex qua sanguis excernendus, adlatis, et epithematibus nec non clysmatibus emollientibus fieri potest. *Si menstrua seu lochia anomala sint*, hirudines ad partium genitalium labia, si *haemorrhoides suppressae*, ad orificium ani applicentur. *In haemorrhagia narium suppressa* scarificationes in cavo narium calamo scriptorio factae fluxum sanguinis restaurant. Causa fluxus anomali inquirenda, et inventa tollenda est. Emmenagogis



gogis remediis adnumerantur praefertim marrubium, pil. polychrestae et e succino, aristolochia rotunda, crocus, assa foetida, melissa, borax, et martialia, quorum usus secundum aegrotorum statum et conditionem eligatur. Externe initio et fastigio morbi resolventia, et in morbi decursu chronico roborantia adhibuisse conducet.

§. XLIV.

*Ophthalmia, dentitionis symptoma, vel a primarum viarum saburra, de qua re jam tractavimus, vel a presso et irritato ramulo illius nervorum plexus, qui oculorum cum maxillis consensum efficit, originem trahit. Ad causam proximam, nempe pressionem seu extensionem nervorum, auferendam, gingivae quasi deterendae et emolliendae sunt, ut eo facilius citiusque a dente perforentur; id quod eveniet, dum infanti corpus quoddam durum manducando permittitur. Plerumque utuntur hoc scopo radice iridis florentinae, seu corio densiori, seu dentibus animalium lanariis. Hoc vero remedio frustra adhibito incisiones in istum gingivarum locum faciendae sunt, e quo dens*

dens prorumpit, ut pressio, extensio et irritatio ramuli nervei cessare cogatur. Reliqua methodus externa et interna sit antiphlogistica, et in doloris nimia vehementia opiata parvis dosibus gingivis illiniantur. *In adulatorum odontalgia* caries dentis cujusdam causa est, et ut odontalgia cum ophthalmia fanetur, dens cariosus mox elevendus est.

§. XLV.

*In inflammatione oculorum a transpiratione suppressa* sudores leniores revocandi sunt, quod per infusa theiformia, et remedia leniter diaphoretica, e. g. salia alcalia, spiritum Mindereri, roob sambuci, camphoram, emetica parvis dosibus propinata, ut nauseam modo excitent, pediluvia tepida, nec non stragula et vestimenta, frigus avertentia, impetratur.

§. XLVI.

Haec, quae de ophthalmiae therapia specialiori, secundum causas, protuli, sufficiant, ne indulgentiam B. L. fatigem. Multae quidem medico practico adhuc obviam



viam venient indicationes accessoriae, harum tamen hic mentio fieri non potuit, quia in diversis individuis diversae sunt, et a constitutione corporis aegroti, ab aetate, vitae genere, sexu, idiosyncrasia nec non a morbis complicatis seu praegressis dependent, facileque ex his derivandae atque illis satisfaciendum est.

---

T H E S E S.

I.

*Omnis rheumatismus est morbus inflammatorius fibrae muscularis.*

II.

*Variolarum insitio effectus miasmatis perniciosos haud minuit.*

III.

*Doloribus post partum ut plurimum praecaveri potest.*

IV.

*Synchondrotomia noxia est.*

V.

*Omnis morbus neglectus mortis causa esse potest.*

VI.

*Gonorrhoea venerea est urethrae status inflammatorius.*

VII.

*In medicamentorum dosibus magis ad irritabilitatem, quam ad aetatem aegroti respiciendum est.*

VIII.



VIII.

*Quilibet homo propria valetudine gaudet.*

IX.

*Natura morbos sanat, medicus curat.*

X.

*Non datur remedium anceps.*

XI.

*Vinum generosum indicationi vitali semper satisfacit.*

XII.

*Aqua submersis vomitus artificialis prodest.*

XIII.

*Mercurius contagio venereo antidotum.*

XIV.

*Causa proxima febris puerperarum est primarum viarum saburra.*



p. 17. lin. 1. leg. Vera quidem est

p. 22. post lin. 12. leg. b) *Externa*, taraxis chemosis etc. de quibus jam supra.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Light Grey
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

s che-